



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Otho Ep. Pomeran. Apost. 2. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

spitem tollere. Itaque oraculis domus personare, VIRGO lætitiâ etiam ipsa exultans, quo DEVM magnificaret, carmen canere, cui omnem palmam vates concedent. Certè ut Superi delicati sint (quippe dulci semper Musicæ affueta) tunc tamen terræ cantus probarunt: nec hodie puto facilius aures Marianis præbent, quàm MARIAM MARIÆ verbis laudantibus, tunc præsertim, si vox Virgo accedat, quam dicere ausim tam libenter audiunt Angeli, quàm nos Angelorum audimus. *Ex Hist. Evang.*

*Sit in singulis Maria anima, ut magnificet Dominum; sit in singulis spiritus Maria, ut exultet in Deo: Nam et si secundum carnem una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. S. Amb. l. 2. Com. in Luc.*

S. OTHO EP. POMERAN. APOST.

2. Iulii.

**O**THONEM Pont. Bambergæ Suevia donavit. Præter Xenodochia, structaque vel reparata templa quàm plurima, monasteria exædificavit XXI. Hominum DEO sacratorum aspectu præcipuè delectatus gaudebat his sive sacrificaturis, sive ad mensam accubituris ministrare & fercula osculo condire. In Pomeraniam cum movisset superstitionē expugnaturus, multæ illi pugnæ fuere, sed victor etiam, cum vapularet, abiit. Tandem manus dedit Regio, postquam Pont. verbis blandis & munusculis captos duos adolescentulos, illi alios, hi alii iterum alios & parentes deniq; ipsos ad sacra nostra induxerunt. Ita post OTHONEM Apostolos Pomerania pueros habuit, quos, ubi sacro fonte lustrati sunt, à profanorum societate remo-

remotissimos voluit, ut neque jam lusus illis communis esset, quorum mores dissimiles esse oportebat. Bambergam redux vitam reliquam egenorum subsidio porrò impendit, magno operæ pretio. Nam vidit nonnemo in altissimo monte (Olympum diceres) ab omnis ætatis & sexûs hominibus palatium OTHONI è solidis gemmis adornari. Quid igitur superbia architectos toto orbe conquiris, ut cælum tibi in terris struas, quando obvios hos quotidie habes? Si nescis, cæci sunt, qui aream rectè designabunt: claudi sunt, qui tam pulchra saxa convehent; manci debilesque rectè absolvent, & in cælum tam nobile ædificium educunt. Ex DD. Bamberg. Gretseri.

*Dulcis Domini JESU memoria, ô juvenis, fixa semper inhereat in mente tuâ: ut exercitationis tuæ cursus palma coronam accipiat. Tempus enim instat, in quo strenui præmia, ignavi ignominiam accipiant.* S. Ephrē de Exercitatione.

S. LANDFRANCUS EP. 3. Iulii.

**N**obiles cunas LANDFRANCUS Papiæ Italiæ urbe habuit, nobiliores nutrices, Musas. Harum in sinu non profanam modò, sed & sanctiorem sapientiam imbibit, ut *Lumē Magisterq;* Theologorum jam tum audiret. Sed poterat hic Magister amplius in fortunæ ludo quid discere. Ecce enim dum Gallias petit, in uno omnes captivæ bonæ artes abducuntur. Tulit ægrè ab initio servitutem tam liberaliter educatus; obstrepentibus puto in vinculis, liberioribus, è novem, Sororibus. At rectius severiores monuere. *Et, nimirū, ajebant, hoc tu fortuna didactron etiam Magister debebas; discipulus sanè hujus, si in captivo liberum errare animum nescias;*